

Quod Deus bene vertat! Disputatio medica, aegrum haemoptysi laborantem exhibens / quam sub praesidio ... Dn. Georgii Wolffgangi Wedelii ... publico eruditorum examini committit Julius Albertus Stockhausen ... M DC LXXIX.

Contributors

Stockhausen, Julius Albert, 1659-
Wedel, Georg Wolfgang, 1645-1721.
Krebs, Samuel

Publication/Creation

Jenae : Literis Samuelis Krebsii, [1679]

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nb6thfgf>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

QUOD DEUS BENE VERTAT!

DISPUTATIO MEDICA,
ÆGRUM
HÆMOPTYSI
LABORANTEM

EXHIBENS,

QUAM

SUB PRÆSIDIO

VIRI

NOBILISSIMI ATQUE EXCELLENTISSIMI

DN. GEORGII WOLFF-

GANGI WEDELII,

MED. DOCT. P.P. MED. DUC. SAX.

S. R. I. ACAD. NATUR. CURIOS.


ADJUNCTI,

Dn. Præceptoris, Patroni & Promotoris

*studiorum suorum ad urnam colendi, deve-
nerandi,*


IN AUDITORIO MEDICO

Publico Eruditorum examini committit

JULIUS ALBERTUS  Stockhausen /

Goslariensis,

ad diem Junii M DC LXXIX.



12

JANU. 1811. SAMUEL KNEBEL



PROOEMIUM.



Ulli affectus præsentius infidian-
tur vitæ, quàm qui constante corporis
robore, citra ullum dolorem vel mo-
lestiam aliam corpus exercent, ut con-
tra ea nemo non doloribus & debili-
tate virium lassatus de salute suâ agi ti-
met & veretur.

Aperto nempe Marte & continuo invadentes
quovis modo à cervicibus depellimus affecti, simul ac
subrui posse corpus metus est. Subdolos negligimus
& oscitantiam illam invitamus magis.

Non maligni hunc censum soli subeunt, cha-
ractere infami suspecti, alii quoque ex parvo initio in
grande & periculosum excrescunt malum.

Instar omnium sit cruenta sputatio, quæ dum ju-
venes corripit magis floridâ ætate, animo sereniori
conspicuos, parvi æstimatur, dum vires non æquè atte-
rit, negligitur, dum pervices sine dolore ullo repetit,
contemnitur, donec plenis hinc velis phthiseos hic an-
teambulo è theatro discedat, aliumque actorem sistat
lethalem fabulam ludentem.

De hac cum agere impræsentiarum sit animus,
supremum rogamus Numen, ut cœptis clementer an-
nuat!

HISTORIA.

JUvenis XIX. annorum, temperamenti calidi & sicci, à parentibus phthificis editus, habitus corporis strigosioris, musicæ deditus aliàs falsis, acribus & piperatis valdè delectatus, & sæpius ulus, cum ante aliquot septimanas in convivio multas noctes cantâdo se exercuisset paulò vehementius, hinc & vinum Hispanicum, cujus potui adsuetus nunquam fuerat, copiosius & ad ebrietatem ingurgitasset, & saltando corpus defatigasset, hinc cum sodali, levi de causâ lites & jurgia movens, ut de verbis ad verbera ventum fuerit, sentit brevi post copiosè sine tussi sanguinem floridum excerni per os, sine vomitu tamen, hinc paucis diebus cum quievisset malum, aliquot milliaria pedes emetitur, & academiam petit, hic sibi restitutus vitus, sentit levem tussiculam, saporem in ore salsum & denique per vices, maxime mane, tussiendo excernit sanguinem spumofum, floridum, sitim experitur solito majorem, & torporem in artubus. Timens graviora petit consilium.

RESOLUTIO.

AFFECTUS, de quo tollendo præsens instituitur de-
 liberatio, est *Hæmoptysis*, sive sputum cruentum,
 spu-

sputum sanguinis, Germanis vocatur das Blutspeyen /
Blutauswerffen.

Symptoma hoc ad classem excretorum & quidem toto genere p. n. pertinet; Sanguis quippe naturaliter in corpore retinendus, quantitate maximâ & per loca minus commoda ejicitur.

Adesse hoc symptoma, & ferri sanguinem hunc ex pulmone, manifestò liquet ex

1. ESSENTIALITER INHÆRENTI, quod est excretio sanguinis floridi & spumosi per os, cum tussiculâ alterâ vice succedente, unde non ex ventriculo eundem ferri, absentia vomitus, non ex asperâ arteriâ, defectus screatus, non ex capite vel gingivis, reliquæ circumstantiæ excretionis patefaciunt. Excernitur enim jam, uti diximus, cum tussi & sine violentiâ. Idem etiam sanguinis excreti qualitas patefacit, qui non est nigricans, non grumofus, sed floridus.

2. Patet id quoque ex ESSENTIALITER CONSEQUENTIBUS. Occurrunt enim *in facultate naturali* actiones læsæ, dum siti solito majori excrucietur æger: *in animali* torpor artuum succedit; *in qualitatibus mutatis* sapore falso os inficitur.

3. E CAUSIS non minus, infrâ uberius deducendis, idem efficitur.

4. Nec SIMILITUDO abludivit. Quotquot enim ita sanguinem spumofum evomunt, accedente dein tussi, hæmoptyci denominari consueverunt.

SUBJECTUM PRINCIPALE in nostro ægro sunt sanguifera vasa in pulmone exstantia, cum omne excretum testetur de suo receptaculo, quod judicium juxta 5. Aph. 13. de promimus ex recensitis, sanguine spu-

moso & florido copiosè, sine vomitu tamen & dolore, excreto, & tussiculâ postea insequente, maximè verò arterias pati ex hisce colligi potest.

SUBJECTUM ADÆQUATUM sunt pulmones, qui sanguinem spumantem extussunt, parenchyma tamen ut & aspera arteria ex accidenti simul læduntur.

CAUSA IMMEDIATA est facultas retentrix læsa ob apertionem vasorum pulmonis, quam triplici modo fieri in scholis medicis receptum est: ἀναστομῶσι, Νεφροσεί & Νεφροδίσει. Quæsit, cui nos hoc loco assentiamur, mediam speciem potissimū eligimus, tum ob acrimoniam sanguinis, tum ob motum vehementem, vociferationem & alia prægressa.

Læditur verò retentrix tum ob facultatem ipsam læsam seu organum, tum ob errorem externum. Facta est hæc apertio p. n. primariò ab errore externo, hinc verò ipsâ facultate læsâ denuo videtur ingruere. Hinc datâ portâ claustris suis exsolutus sanguis cavitationem pulmonum est ingressus, cumque ibi molestiam crearet, naturam ad sui excretionem sollicitavit.

MEDIATE PROXIMIORIS, quoad *Essentiam* considerata, locum explet sanguis, & cum eo humores serosi, acres, salini, nitrosi & erodētes, qui ruptioni ansam dedere.

Quoad *Essendi modum*, peccat sanguis tum *substantiâ*, est enim nimis tenuis & serosior; tum *quantitate*, (sicut notum est, macilentos plus habere sanguinis respectivè, quàm obesos,) collectus ibi per συσπυγισμόν & subsistens, nec in debitis suis alveolis promotus, tum denique *qualitate*, est enim nimis acris & stimulan. Hinc primò intemperies, deinde & soluta

luta unitas secuta est, quam in specie ad διαίτην hoc loco referimus potissimum.

Chimicis principiis si standum, culpa omnis rejicienda in salia acria, benigniorum lenientium mixtura destituta.

Helmontius pulmonario archæo furore percito, ob onerosum tum quantitate tum qualitate cruorem, primas tribuit, uti id ex eo explicat *Franc. Oswald. Grembs. l. 2. c. 1. §. 9. p. 147.* *Sylvius* bilem arguit copiosius genitam fluidiorem & acriorem, sanguini commixtam, *vid. prax. l. 1. c. 18. §. 11. 14. p. 165. 166.*

Motu quoque peccat sanguis *generationis & locali*, dum ipsius particulæ intestino tumultu effervescent & vasa laxant, quin imò rumpunt. Cui rei ansam quoque dat corpus pulmonum vesiculis suis laxum, rarum, cavitatibus insignitum notabilibus & ad recipiendos humores aptissimum, tum aliunde à toto ad pulmones confluentes, tum in specie etiam, quod sapor salsus innuit, à capite destillantes, qui in vasis redundantes ruptionē & reserationem ipsis induxere.

CAUSÆ MEDIATÆ REMOTIORES in triplici sunt differentiâ.

Quoad NATURALES, ante omnia occurrit

1. *ÆTAS* juvenilis, ipsius *Coi* suffragio *3. apb. 29.* ad expectorata sanguinea *αίματες πύσιες* proclivis, tum in se, tum ob inordinatam victûs rationem.

2. *TEMPERAMENTUM* calidum & siccum, sanguinem exaltando, acriorem reddendo & rariorem, in partes venit.

3. Consentit corporis *HABITUS*, macilentus & strigosior.

4. In primis verò HÆREDITARIA DISPOSITIO
concurrit, ex familiâ enim phthificâ oriundo est æger.

IN NON NATURALIBUS offendimus non
minus causas occasionales, excludendo malo hoc ovo
perquam aptas plurimas.

Si CIBUM & POTUM examinemus, falforum,
acrium & piperatorum frequens usus, & vini Hispa-
nici non adsueti ingurgitatio nimia, qualitatibus vi-
tiosis & intemperatis sanguinem facilè inquinare po-
tuerunt, & acriorem ac calidiorrem reddiderunt, uno
verbo minus aptum, qui in torulis pulmonum conti-
neri posset. Excitarunt adeoque cacochymiam cum
plethorâ mixtam.

AER æstivus calidus & siccus cum reliquis ad
productionem mali egregiè conspirat.

MOTUM, quo corpus saltando defatigavit, pul-
mones cantione crebrâ & continuatâ, tum quoque
jurgiis vehementioribus irritavit, manus cum vicino
conferuit, aliquot demum milliaria pedes emensus
est, eatenus ex causarum consortio non excludimus,
quatenus ad pulmones & superiora magis commovet
sanguinem, notante *Sennerto l.2.prax.part.2.c.6.p.176.*

VIGILIÆ accedunt multis noctibus continuatæ,
accensioni sanguinis maxime idoneæ.

ANIMI PATHEMATA tandem, ut amor mu-
sicæ, pulmones maximè exercentis; concitatus item
ex lite & jurgiis furor, bilem ipsius massæ sanguinæ
confundendo, sua conferunt symbola. Hæc omnia
uno verbo nutrimentum & succendiculum præbuere
symptomati.

EX PRÆTERNATURALIBUS CAUSIS ca-
tarrhi

rarrhi falsi, tenues ad pectus delabentes cum simili-
bus humoribus se coniungendo symptoma hoc vel so-
li producere potuissent.

A talibus ac tantis causis productus affectus, non
mirum est, quod sequentia post se traxerit sympto-
mata.

1. *Sanguis fuit eiectus*, ob ruptionem vasis.
2. *Sanguis floridus & spumofus est*, tum quia recens
ex vase prorupit, nec moram duxit in pulmone, tum
quia per se spiritibus pollens in aereo viscere fuit agi-
tatus.
3. *Sine tussi* verò copiosè sanguis fuit eiectus, ob
impetum *ἀβέβαιος καὶ βίαιος* factum, qui antequam irri-
tare bronchia ad tussim potuerit, exitum simul ac se-
mel affectavit. Tale exemplum aliàs non ita obvi-
um legi potest *Ann. II Ephem. Germ. observ. 45.*
4. *Tussis hinc levior successit* recrudescente malo,
sine impetu tamen priori, ob irritationem membranæ
asperæ arteriæ, adeoque accessit ipsa locorum, per quæ
delati fuere humores, inæqualitas.
5. *Sapor in ore falsus* deturpationem indicat massæ
sanguineæ dulcissimæ in statu naturali & blandissimæ,
vel ob admixtionem aliorum humorum pravorum
falsorum, vel ob ipsam sanguini à prægressis cibis im-
pressam malignam qualitatem, sive, ut chemicis placet,
ob sal resolutum & acre factum.
6. *Sitim solito majorem* ob eosdem humores falsos,
acres & calidos, & stimulationem consequentem or-
tam fuisse non veremur affirmare.
7. *Maximè mane experitur ager excretionem*, quod
ad exitum per quietem & compressionem pulmo-

nis in decubitu melius præparatur humor extravasatus.

8. *Succedit torpor in artubus*, ob cacochymicum totius corporis statum cum plethorâ junctum, extimam vestem & membra gravantem, qui ex causis prægressis deduci potest clarissimè.

8. *Dolor tamen abest*, quia pulmones paucioribus nervis sunt instructi.

PROGNOSIN nobis dubiam reddit 4. *Aphor. 25.* αἷμα ἀνω μὲν ὁμοῖον ἀν ἧ, κακόν. *Sanguis per superiora erumpens, cujusmodi tandem sit, calamitosum, accedit falsus in ore sapor, unde facilis erosio vasorum, præsertim motu perpetuo accedente pulmonum, facilè eorundem ulcus & phthisis produci valet, neque meliora spondet à parentibus phthificis communicata mali seges; quid quòd à sanguine ἀβρόσθη καὶ βιαίως cum impetu & confertim irruente, dilaceratio vasorum major indies, adeoque, juxta Hippocratis elogium, ex sanguinis sputo, puris sputum debeat timeri: unde quam plurimi periere juxta illud Poetæ:*

*Cernis ut è molli sanguis pulmone remissus
ad stygias certo limite ducat aquas.*

Ægrum tamen nostrum benè sperare jubemus, solatium ipsi præbendo *Coi effato 2. Aphor. 34.* quod naturæ, ætati, habitui & tempori congener sit morbus, deinde nec symptomatibus adeò gravibus stipatur, denique quod adhuc incrementa non sumserit, sed æger ipse, morbo adhuc in principio, consilium malo maturè quærit, unde, modò dictis obediens accuratissimè caveat sibi ab iis, quæ inhibebimus, & faciat quæ suaserimus, facilius poterit extirpari.

LONGITUDINIS & BREVITATIS ratione confidimus hoc pacto brevi terminatum iri hoc malum, designantes

MODUM EVENTUS, post evacuationem & diffusionem cruoris coagulati, per consolidationem vasorum citiorem & roborationem.

CURATIO maturanda est, ne nimiam purpuræ vitalis effusione aliis symptomatibus longe gravioribus aperiatur aditus. Hæc fundatur METHODO medendi & INDICATIONIBUS consuetis.

CURATORIA morbum auferendum & vas quantocyus claudendum dicitur.

PRÆSERVATORIA causas eliminare jubet, tum acrimoniam sanguinis & vitiosum motum, tum præcipuè, ne sanguis extravasatus grumescat.

VITALIS vires attendit ne mali vi labascant, restaurando & conservando.

Fontes sunt tres, è quorum penu materiam præsidiorum petere licet, quos, ut secundum hæc indicantia & ipsi procedamus, jam accedimus.

CHIRURGIAM ergò quantum concernit, & princeps ipsius morbi medendi medium

VENÆ SECTIONEM, ea ab Autoribus maximeperè affectui nostro contraria laudatur. Dum enim, detrahendo massæ sanguineæ partem notabilem, ipsam blandè refrigerat ebullientem; præterea quoque Naturæ vias alias monstrat, per quas peccans quantitate succus aptè evacuari valeat, non dubitant practici asserere, eam in paroxysmo optimè adhiberi, quin ter vel quater esse repetendam, si malum contumax obsequium deneget, & virium ægri robur sufferendo sit, de quo proluxe agit *Senert. l. c. p. 180. & 387.*

In nostro agro an ea tutò possit vel debeat in auxilium vocari, quæ sit respondemus: Quòd, cum æger sit juvenis, sanguine abundans, licet habitus sit strigosioris, & prægressus sit in victu lautiori & calidiori error, ad eam omninò recurrendum esse arbitramur, si præsertim vehementia symptomatis, uti primâ vice factum, urgeat; si malum item sit constans, præmissis tamen & junctis quoque iis medicamentis, quæ massam sanguineam infectam à sordibus suis, quibus scatet abundantissimè, repurgent.

Ad majorem revulsionem itaque fecetur vena ischiadica vel saphena in pede alterutro, quod experimentum feliciter successisse, annotante *Dn. D. Præsidente* plus vice simplici notavimus, sanguine ad ʒij. vel ijj. emisso.

Idem de CUCURBITULIS esto judicium, quas alii eo in casu, ubi à V. S. damni metus ingruit, laudant. Possunt commode dorso, brachio & femori applicari.

VESICATORIA, SETACEA, FONTICULOS, cum à catarrho non absolutè foveatur affectus, omittere consultiùs ducimus.

LIGATURAS, quas alii maximo commendant opere, abominatur, & carnificinam appellat *Heer. Obs. 13. p. 168. seqq.* Neque, ut ad eas confugiamus in curatione ægri nostri, opus est, cum affectus non admodum urgeat, quod & de FRICTIONIBUS intelligendum volumus.

Missis itaque quæ ad forum istud spectant aliis, ad PHARMACIÆ loculos progredimur, visuri, quid ex iis solatii sperandum sit agro nostro hæmoptyico.

PURGANTIA huc faciunt **LENIORA**, quæ bilem blandè movent & educunt, neque sanguini turbas creant molestas, extra paroxysmum tamen magis proficua. Consultò verò his utendum ducimus, ut primis viis expurgatis, & salinis humoribus eductis, defæcetur massa sanguinea, & à stimulo rodente liberetur.

Rx. tamarind. ℥℞. rhabarb. elect. ℥ij. myrobal. citr. ℥i℞. incis. contus. infundantur per ϑ cum s. q. aq. plantag. & acac. mane bulliant. Expressione facta in colat. dissolve. elect. lenit. ℥iiij. sir. ros. solut. cichor. c. rhab. ā. ℥℞. M. Fiat potio. S. Laxier-Träncklein.

Rx. pulp. cass. rec. extr. conf. flor. persic. ā. ℥j. rhab. Alexandr. ℥℞. ♀ Olat. gr. iij. M. F. l. a. Bolus S. Laxier-Zucker.

Rx. magister. rhabarb. ℥j. corallior. gr. iij. spec. diagalap. Myns. gr. viij. M. F. Pulvis.

Aloetica quidem malè audiunt, & in specie *Calvinus* scribitur eorundem usu hæmoptysin incurrisse; Sin correctæ sint menstruis aqueis, & parciore dosi adhibeantur, non obstat, quin optimo cū successu & nunquam satis laudandâ efficacîâ tutò exhibeantur. Unde *pilule aloetica minores Francofurtenses, Glasiana, Excell. Dn. D. Presidis* spem nostram non frustrabuntur.

Rx. rhab. Alex. ℥j. crystall. ♀ ri ℥℞. scam. rosat. ♂ Olat. ā. gr. iij.

M. F. Pulvis D. in Chartâ. S. Laxier-Pulverlein.

Faciunt huc quoque Clysteres, in ipso paroxysmo non negligendi. v. g.

Rx. rad. alth. polypod. malv. ā. ℥℞. fol. senn. s. s. ℥iiij. herb. s. emoll. a. mj.

flor. persic. p. j. prunn. dulc. n. vij.
sem. lin. fœnigr. a. ʒij. coq. in l. q. ▽. font. adde Co-
latur ℥. j.

elect. benedict. laxat. o. verbasco. a. ʒj. vitell. ovor.
nj. M. F. l. a. Clyster.

VOMITORIORUM usu, cum præsertim nulla urgeat indicatio, ut cane peius & angue abstineat æger, præcipimus, ne per motum violentum & vehementiorem ulteriori vasorum aperture ansum præbeat.

DIAPHORETICA, maximè volatilia, cum discussione seri & fuliginum magis subtilisent sanguinem, adeòq; motum ipsius concitent, ex consultatione nostra excludimus, nisi forsitan *♁♂le cachect. terr. sigill. bolus armen.* & similia huc trahenda videantur.

DIURETICA tamen, cum egregiè refrigerent & compescant æstum tumultuantis sanguinis, non planè sunt negligenda, imò paulò calidiora, si providè adhibeantur, nonnullis laudari solent, uti o. succini celerrimè sistere hæmoptysin *Casalpinus* apud *Hoffmannum* asserit.

Rx. ▽ *alkekeng. burse pastor. fragor. ā ʒj.*

magist. ocul. S. ʒj. sir. byzant. ʒ℥.

M. F. Potio D. in fict. S. *Treibe & Träncklein.*

Rx. *bals. ʒis succin. ʒ℥. D. in vitro. Assumantur gtt. ij.*
vel iij. in ▽ plantag.

Rx. *troch. de alkek. c. op. ʒij. rad. alth. ʒj.*

sacch. rosat. tabul. ad. p. o. M. F. pulvis. S. Lind-Pulver.

ALTERANTIA specifica affectui nostro primariò debita sequuntur, quæ sanguinis motum leniunt, refrigerando & contemperando ipsi compedes injiciunt, viscerum tonum solantur, vasa constriungunt, pulmones defendunt, & quovis modo exulceratio-

tionem avertunt, unde adstringentium & resolventium miscela commoda est.

Formulas itaque ægro nostro præscribimus sequentes:

- Rx. ∇ . portul. centinod. plantag. ros. ā. \mathfrak{z} ij.
 R. antiphthif. Graman. \mathfrak{z} j. Essent. anod. \mathfrak{z} ß.
 sir. de ros. sicc. \mathfrak{z} iß. M. S. Unhaltend Tráncklein.
- Rx. R. antiphthif. Gram. \mathfrak{z} iß. D. in vitro. S. Stärck. Dinctur.
 Dos. 15. 20. gtt.
- Rx. R. lap. hemat. corall ā. \mathfrak{z} j. S. ut supra.
- Rx. R. ∇ e Japon. \mathfrak{z} ij. anod. \mathfrak{z} ß. M.
- Rx. R. \mathfrak{z} is adstring. essent. traumat. D. Præs. ā. \mathfrak{z} j. D. in vitr.
- Rx. R. \mathfrak{z} is Oli, \mathfrak{z} ij. D.
- Rx. ∇ ros. papav. rhead. plantag. ā. \mathfrak{z} ij.
 R. corall. \mathfrak{z} ß. sir. papav. simpl. \mathfrak{z} vj. M.
- Rx. decoct. aristol. rot. \mathfrak{z} x. ∇ veron. scabios. ā. \mathfrak{z} ij. sir. de symph.
 Fernel. \mathfrak{z} vj. de rosis sicc. corall. \mathfrak{z} . ā. \mathfrak{z} ß.
 extr. glycyrrh solat. in ∇ pap. \mathfrak{z} ß.
 us anis. Oli. ā. \mathfrak{z} ß. M. F. potio. S. Heil. Tráncklein.
- Rx. ∇ millefol. burs. past urtic. ā. \mathfrak{z} ij.
 pulv. stypt. Croll. \mathfrak{z} j. sem. hyosc. alb. gr. xv.
 sirup. de symph. Fernel. q. s. ad grat. M. S. Unhaltend Tráncklein auf etliche mahl / w. u. \mathfrak{z} . r.
- Rx. ∇ contra sangv. sput. tussilag. centinod. ā. \mathfrak{z} iß.
 lap. hemat. bol. armen. ppt. ā. \mathfrak{z} j.
 R. antiphth. \mathfrak{z} j. sir. corall. \mathfrak{z} . \mathfrak{z} j. M. F. Julepus. S. u. f.
- Rx. extr. torment. conservæ rosar. ā. \mathfrak{z} j.
 terræ sigillat. spec. diamargar. fr. ā. \mathfrak{z} j.
 loob de farfar. de papav. sir. myrtin. ā. \mathfrak{z} ß. M. F. Eclegma.
 S. Dicker Saft.
- Rx. Conserv. rosar. rubr. veter. \mathfrak{z} ij. loob. de psyll. \mathfrak{z} j.
 spec. diaplantag. Myns. \mathfrak{z} ß. lap. hemat. croc. \mathfrak{z} adstr. ā. \mathfrak{z} j.
 Oli. gtt. xii. M. c. f. q. sirup. myrtin. F. l. a. Electuarium
 S. Stärck. Lattweg.

- ℞. *conserv. rosar. vet.* ℥ij. *pulv. Heurn. adstring.* ℥ij. *lap.* ℥. ℥℞.
fir. plant. portul. ā. q. s. M. F. Electuarium.
- ℞. *rad. symphyt. maj. torment. glycyrrh.* ā. ℥℞.
fol. millefol. sanicul. chamædr. ā. m℞. *polygon. mj.*
fl. tussilag. viol. ros. rubr. balaust. ā. p. ij.
santal. rubr. ℥ij. *coq. in s. q. ∇. fontan. ad tertias.*
Colaturæ adde sirup. de symph. Fernel. q. s. ad gratiam
Aromatisetur spec. dia& Myns. ℥j. M. F. Decoctum.
- ℞. *rad. symph. maj. bistort. torment. glycyrrh.* ā. ℥℞.
fol. frag. burs. pastor. polygon. scord. veron. ā. m℞.
flor. bellid. p. ij. *lign. santal. rubr.* ℥iij.
- S. Species ins Bier.
- ℞. *sem. hyosc.* ℥j. *corall. ppt. bol. armen.* ā. ℥j.
nucl. pin. ℥℞. *facch. in ∇ centinod. sol.* ℥iv.
R. ros. rubr. ℥j. *cons. symph. maj.* ℥ij. M. F. l. a. Morfuli.
- S. Brust = Morfellen.
- ℞. *troc. de carab. de terr. sigill.* ā. ℥j.
spec. diatrag. frig. C. C. ust. ā. ℥ij.
croc. A. adstr. ℥℞. *pulv. anodyn.* ℥℞.
 ☉ *de carab. gtt. iij. sacchar. in ∇ ros. & plantag. dissol.*
 q. s. M. F. l. a. Morfuli.
- ℞. *spec. diatrag. fr. lap. hemat. bol. armen. ppt.* ā ℥j.
mastich. granul. ℥℞. *sem. hyosc. alb.* ℥℞.
facch. in ∇ burs. pastor. & millefol. q. s. solut. q. s.
 M. F. l. a. rotulæ. S. Anhaltende Röchlein.
- ℞. *∇ ros. endiv. plantag. borrag.* ā. ℥℞.
seri lact. capr. destill. ℥℞. *sir. endiv. viol. acetos.* ā. ℥i℞.
succ. granat. ℥ij. *essent. flor. hyper.* ℥j.
- ☉ *Ol. A. q. s. ad gratum saporem.* M. F. l. a. Julepus.
- S. Alterir = Julep.

Quod acida attinet, non ignoramus, quæ pro
 usu illorum & contra eundem ventilari solent, uti v.
 gr. Hartmannus, Castellus, & alii spiritum ☉li ad coagu-
 landum sanguinem his in casibus commendant; alii

verò, quale exemplum refert *Conringius l. de Herm. med. l. 2. c. 5. p. 253.* hæmoptysin eodem promotam potius asserunt. Medio modo tutissimè procedi arbitramur, refractâ dosi non denegantes mixturam, quanta nec tusi promovendæ, nec acrimoniæ augendæ inservire possit. Talis v. g. esse potest mixtura ad sanguinis fluxiones *Sylvii*, quæ instar omnium esse potest. Ita enim fixationi humorum eorundemque resolutioni optimè succurremus. Sin tusi major sit, ab iis penitus abstinere satius fuerit.

A N O D Y N A interponi postulant, si hæc non ex voto juverint.

R̄. *extr. torment. g. vj. laud. opiat. ḡ. j. vel ij.*

M. F. pilulæ D. in ▽ polygoni.

R̄. *troch. narcot. plater. ℥ij. D. in scatulâ, sumatur unus vel alter circa noctem.*

R̄. *essent. traum. ℥ij. anodyn. ℥j. M. in vitro. Still. & inctur.*

R̄. *magist. anodyn. cum mag. perlar. vellap. ℞. fact. gr. vj. D. pro unâ dosi.*

Sic & emulsiones *sem. 4. frig. major. nucl. pin. &c.* cum aquis specificis factæ huc facient, diluendis & temperandis humoribus salinis eximiè dicatæ.

EXTERNIS abstineri quidem posse & solis istis internis præscriptis curari morbum, fundamento nixi optimo, concludimus; interim tamen nec his penitus abstinendum erit. Sic fumum ♀is vivi & similibus exsiccantium, quod immediatè ad pulmones ferantur, commendare possumus, omnia tamen sub modamine & *De Jac.*

Bursam pastoris & polygonum sub axillis gestet, vel manu contineat. De priori videatur loco apud *Sim. Paul. 2. B. p. 231.* Pertinēt huc etiam alia, quæ aliàs in hæ-

morrhagiis externè locum habent & commendari solent, quæ alibi latius adducta reperias. Hepati epithemata ex frigidis conveniunt.

Rx. ▽ *endiv. lactuc. nymph. ros. sed. maj. ā. ʒj.*

✚ *ros. ʒvj. santal. rubr. ʒij. ① Siat. ʒj. M.F.l.a. Epithema.*

Quod super est, DIÆTAM patienti profuturam in medium adducere & necessarium est, & nostro officio conveniens.

IN VITALI AFRIS mediocritatem semper observet. Ut enim calidus facilè ad inflammandum sanguinem concurret, ita frigidus rigidis suis particulis ad exulcerationem vel solus multum disponit. Inclinet tamen ad frigiditatem magis, quàm calorem, calidus enim sanguinis fluori non convenit, argumēto *5. apb. 16.*

IN NATURALI CIBIS non indulgeat nimium; eosq; eligat, qui sunt boni succi, vitet concoctu difficiles, acres, salitos, piperatos, aromatisatos; neque impensè dulces conveniunt. Adeoque tenui victu contentus tantò minùs indulgeat genio, quantò citius se sanum reddi exoptat.

Vini usus planè exulet, nisi temperatissimum fuerit; concedere tamen juscula ex eo parata non veremur. Pulverem ex amylo maximo habet in pretio *Simon Pauli Q. B. p. 232. item p. 507.* Nuclei pini, in templo Æsculapii olim suspensâ tabulâ hæmoprycis commendati, sæpius adsumantur in ciborum censum.

IN ANIMALI MOTUS, quo sibi conciliasse symptoma molestum meminit ager, vehementiam canis pejus & angue fugiat, & nisi immedicabilem pulmonibus inducere satagit rupturam, tandemq; ulcus, præ eo quieti sit addictior. Neque tamen in hac au-

rex mediocritatis limites transcendat, & evitato uno malorum, cumulatis cruditatibus & sanguine minus ventilato, increbescantibus fuliginibus aliud sibi attrahat.

VIGILIAS protractas suspectas habeat, ita tamen, ne SOMNO quoque plus temporis, ac æquum est, tribuat.

ALVUS, si sui obliviscatur officii, laxantibus & humectantibus admoneatur & excitetur.

IRAM aliosque vehementiores affectus è suo consortio proscribat, aliàs enim prona ad phthisin habetur via. Quo ipso claudimus, ultimo adhuc ægro relicto salutari præcepto: Uti plurimi solà diætâ hæmoptyses vitio fuere liberati, ita nostro patienti, si in ejus administratione deliquerit, parum adjumenti ferent medicamenta!

SOLI DEO GLORIA.



T Te Vulcani scrutan-
tem vidit ad aram
Pharmaca, ter visus
plaudere Sala pater;
Hinc,

Hinc, ait, ad plenum stillabunt
divite cornu
præmia, quæ capiti jungere ri-
te paro.

I! Cathedram conscende, & do-
ctam confere pugnam,
ad metam hæc strata est unica
laude via.

*Pereximio Dn. Respondenti de laudatissimis in
selectiori medicinâ progressibus, quos
indefesso studio fecit, ex animo grator
& conformes successus felicissimos
apprecor*

PRÆSES.



*Alve, Stockhusi dilecte,
Heliconis amator!
Salve, Galeni, Hermetis
Charitumq; sodalis!
Salve! De philyris doctis Tibi gra-
tulator hisce.
Perge bonis avibus captam per-
texere telam.*

Sic

*Sic quondam referes ferientem si-
dera Patrem
Vertice sublimi. Augurium DEUS
impleat almus!*

Sic vovet animitus

*Augustinus Henricus Faschius,
D. P. P.*



*Sanguinis ingrato de
Sputo differis aptè:
Det Deus ut nunquam
sit recidiva lues.*

*Sic abeas, patriamque adeas, es
doctus, es isto
Liber ab affectu. Sic bene ce-
det iter!*

*Doctissimo Domino Respondenti, Convictori ha-
ctenus suavissimo, ὀλοψύχως gratulatur
ac prospera quæq; vovet*

CASPAR SAGITTARIUS, D.

Hist. Prof. Publ.

C 3

Ἄλλοις

Aλλοις ἄλλα μέλει Τὸ τὸν Κῶνον φερα-
πέυεις.

Τ' ἕνεκά σοι Κῶν χρημάτων δώσει αἰεί.
Ταῦτα φιλίας καὶ ἡμῆς
ἕνεκεν ἐποίησε

M. Gabriel Reusselius.

TU prout infensus Morbonæ
& Mortis es hostis,
Hostis quæque Tui fran-
gere tela doces.

Credimus experto, retinendo
dicta cruori

Pharmaca, nam (doleo!) testis
es αὐτοπαθῶν.

Felix ergo aliis propina, quæ Tibi
profunt,

Vt referet venas nil Tibi, nil
aliis.

*STOCKHUSIO SMO,
Commensali ac commilitoni
carissimo
gratul. adposuit*

JACOBVS de MELLENS,
Lubecensis.

Undi-



Naique terrarum resonant
bella, horrida bella,
Sanguinis effusi copia
tingit aquas.

Per cædes bellator ovans grassa-
tur ad astra,

Muneris explanant funera
mille viam.

Tu quoque Musarum faciens sti-
pendia terna,

Sanguineo famæ flumine tem-
pla subis.

Quanto homines servare prius,
quam perdere leto;

Tanto illis famam præfero rite
Tuam.

gratulabundus apposuit.

C. Cörber.

Wer.



Er Weißheit Kräuter pflücket und
ihre Krafft erkennet;
Wer am Apollo hält auff seinem
Helicon,
Und wer Machaon gleich nach Wißenschafft-
ten rennet /
Dem grünet um die Schläff zulezt die
Lorbeer-Krohn.
Wie Er / Mein wehrtester Freund / Parnassus
Ehren-Hügel
erklettert ; Zeigt Sein Fleiß / den hie
das Aug' erblickt.
Der Höchste segne Ihn. Diß ist der Freund-
schafft Siegel /
So meine lasse Hand zu guter letzt hin-
drückt.

Hiermit stattete Seine Schuldigkeit gebührend ab
des Herrn Respondenten ewiger Freund
P. Laackmann, SS. Theol. Stud.

